

summa febrium malignarum debilitate, ac, nisi plenitudo vasorum obstat, in paralysi et apoplexia ipsa proficuus; in amaurosi sananda, vtique vna cu[m] aliis e. g. radice valeriana, emplastris vesicatoriis inter humeros adplicatis efficax (LVXMORE memoirs of the medic. Societ. at London. Vol.III. 1792. app. XXXI.). Oleo firmius infixo virtute refrigerante, plurimis reliquis acidis communi, priuatur, sed potentius sudorem mouet, vt in morbis a transpiratione suppressa natis, exanthematibus aut retrogressis, aut, si critica sint, ad superficiem exterminandis, arthritide, egregie prospicit, et spasmos sedat; hinc siue solus, siue cum spiritu cornu cerui depurato ad saturationem vsque permistus (*Spiritus cornu cerui succinatus*, *Liquor cornu cerui succinatus*) in malo hysterico aequa ac aliis morbis spasticis mirae efficaciae. Exhibitetur autem a granis duobus ad decem et viginti vsque vel cum aliis in pilulas redactus, vel cum saccharo tritus, vel cum vino, aqua distillata aut emulsione permistus.

## B. SALIA ALCALINA.

Cum salibus acidis in neutra transeunt, cum oleo et pinguedine in saponum genus vulgare, sulphur, ceram, resinas soluunt, ceterum dissoluendi corpora facultate acidis longe inferiora, quaecunque his soluta sunt, exturbant, colorem caeruleum multorum vegetabilium in viridem, rubrum in violaceum, flauum in rufum conuertunt; modo aqua aut a[er]e fixo temperata satis fuerint, sapore sibi proprio, vrinosum forte dixeris, linguam ferientia,

tia, ceterum vtroque, quantum fieri potest, or-  
bata, igneam acrimoniam, quamcumque corporis  
viui partem contigerint, exercentia.

Si parciora quaedam *alcali vegetabilis*, *Potassa*  
recentioribus quibusdam dicti, in salibus quibus-  
dam compositis, et *alcali volatilis* siue *ammoniaci* in  
corporibus ex regno animali natales suos trahenti-  
bus obuia vestigia excipias, in regno minerali non  
occurrit, nisi, quod vulgo audit *alcali minerale*, Ve-  
teribus *Natrum*, recentioribus Francorum physicis  
et qui eos sequuntur, *Soda*; vtique ne haec qui-  
dem in solo hoc naturae regno deprehendenda,  
vt potius maxima eius pars, quae hodienum medi-  
cis vsu venit, ex cineribus plantarum quarundam  
maritimarum, sub falsolae potissimum genere mili-  
tantium, eliciatur, et, satis quidem impurum,  
fodae nomine vulgo veneat, quamuis labore non  
tantopere difficili, et ex sale mirabili, et maiore  
adhuc cum fructu ex sale communi aliis atque  
aliis modis (CRELL *chem. Journal*. Lemgo. 8. P.I.  
1778, p. 101. WIEGLEB *Handbuch der Chemie*. 8.  
P.II. p. 72. MEYER *chemisch. Annal*. 1784. Vol.II.  
p. 126. WESTRVMB *kleine physicalisch- chemische Ab-  
handlungen*. Leipz. 8. Fasc. 1. 1785. p. 145.  
DRIESEN *Natuur- en Scheikundige Waarnemin-  
gen etc.* te Leyden 8. St. 1. 1791. p. 180 sqq.  
CVRAVDAV *journ. de physique*. 1792. Aug. p. 108.)  
obtineri possit, et satis purum, aëre tamen fixo,  
virtuti eius salutari non obstante, semper im-  
prægnatum, nunc aqua solutum, nunc siccum, na-  
tura nobis fistit in variis, Europæ quoque, terris,

libera-

liberaliori praesertim manu in Hungaria (RÜCKERT  
*chemisch. Annal.* 1792. vol. 1. p. 365.), vt depurati  
 a terra comite salis quotannis insigne pondus vili  
 fatis pretio veneat.

Stimulant alcalia fibram contractilem et ner-  
 veam; ideo euitanda quidem, motu febrili, spas-  
 mis, conuulsionibus corpus exagitantibus, fibris  
 nimium tensis, aut irritabilibus, tanto potiora, his  
 languentibus aut torpentibus. Attenuant humores  
 et tenacem praesertim pituitam incident, hinc in  
 obstructionibus, a nimia humorum spissitudine pro-  
 ficiuntibus, in scrophulis, in morbis pectoris, ca-  
 pitis, ventriculi, aliarum partium, ab accumulata te-  
 naci pituita natis. Vrinam mouent, ideo hydropicis,  
 et hinc inde nephriticis commendata. Acidum  
 denique suo confortio in sal medium conuertendo  
 domant, vt igitur noxis a deglutito veneno acido  
 imminentibus, et dominant ex vitio diaetae aut  
 morbi specie ventriculi acori egregio cum successu  
 opponi possint.

Antecellit tamen inter haec non virtute qui-  
 dem, verum sapore minus ingrato *alcali minerale*  
 f. Natrum antiquorum LINN. *Syst. nat. III.* p. 257.  
 siue *carbonas sodae*, facile in crystallos pellucidas  
 ad aërem fatiscentes abiens, vt ideo a granis quin-  
 que ad scrupulum vnum, modo aqua distillata,  
 iuscule carnis, aut alio potus genere solutum,  
 modo cum cinnamomo et magnesia alba vel cum  
 cinchonae cortice pulueris specie permistum, modo  
 cum gummi arabico aut syrupo zingiberis in tro-  
 chiscos, modo cum gummi arabico et liquiritiae  
 puluere,

puluere, aut cum conserua quadam, aut cum extracto quodam amaro, aut cum sapone albo (TH. BEDDOES observ. on the nature and cure of calculus, sea - scury, consumtion, catarrh and fever etc. Lond. 1793. 8.) in pilulas redactum, in debellandis ventriculi acore, ardore, tenaci pituita, scrophulis (KIRKLAND l. c. II.), aliisque tumoribus indolentibus et obstructionibus (MONRO l. c. I. p. 106.), in ipso calculo vrinae (BEDDOES l.c.) soluendis, ulceribus cancerosis sanandis (LA CHAPELLE ap. DESAVLT journ. de chirurgie à Paris. 8. T. I. 1791.) cum fructu exhibitum sit: Drachmas duas aquae calcis libris duabus solutas quotidie mane per quatuordecim dies continuos assumtas fabulum et calculum mirifice pellere THEDEN (*Unterricht für die Unterleibundärzte bey Armeen.* Berlin 1774. 8.) testatur.

## C. SALIA NEVTRA.

Sapore minus acri gaudent haec salia, quamvis omni humore priua, neque efferuescunt cum acidis aqua dilutis, neque satis notabiliter cum alcalibus.

## a. SALIA NEVTRA GENVINA

Appellare liceat illa, quae ex acidi cum alcali connubio nata sunt, eo quod illorum solutio per aquam distillatam facta ab alcali infuso non turbatur, facile dignoscenda.

Ex